



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Stephanus Episc. 7. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. STEPHANUS EPISC. 7. Sept.

ASpera & incultra terrarum habitare
 D. Brunonem ajunt. Viridaria re-
 ctiùs dicerent, quæ tam nobiles nobis
 flosculos submitunt. Atque hem tibi
 ex his STEPHANUM Lugduni Gallia-
 rum nobili familiâ fatum! Hic vitæ reli-
 quæ in ipsis cunis bullaque præludens,
 quem diem patienti Christo dicamus,
 materni lactis abstinentiâ sanctum ha-
 buit. Amorem suum Christum sub pa-
 ne latentem quoties contemplatus fuit,
 putasses æstu absumendum, nisi lacri-
 mis, quibus diffuebat, hunc temperas-
 set; dixisses Crucifixo immortuum, nisi
 vitam suspiria prodidissent; denique exi-
 stimasses cælo precabundum interesse,
 nisi hoc descendere ad STEPHANUM vidis-
 ses, Angelo misso. Jam tempestates fuga-
 tas, desperabundos cælo, ægros sanitati,
 mortuos vitæ redditos taceo. Unum id-
 que utile juventæ, quod Pontifex jam
 Diensis edidit, facinus narrabo. Dixe-
 rat graviter in omnia vitia, illud præfer-
 rim, quo festos Divorum dies aleis, cho-
 reis & id genus ludicris vulgus amat pro-
 fanare. Cum aures necquicquam diu pul-
 sasset, dæmoni denique malo, qui ad eas
 nugas impellere animas adsolet, pro con-
 cione imperavit, positâ larvâ palam sese
 ostenderet. Enimverò paruit tam horri-
 bilis,

558 VITÆ SANCTORUM. 8. Sept.
bilis, ut jam magistri sui puderet in ludo
discipulos, facileque cum illo etiam hunc
damnarent. Sed, ô Superi, invenit ho-
die iterum discipulos pessimus Doctor.
Iuvat chartas minimè doctâ pictas ma-
nu crepare. Iuvat aleam (vel salutis) ja-
cere; juvat terram plaudere, & ne serò
pereamus, ad orcum non jam imus; cur-
rius, saltamus. *Ex Surio.*

*Quod Sirenes fuisse finguntur, id vere
sunt illecebræ cupiditatum & blandimenta
vitiarum: habent enim in specie lenaci-
nium, in gustu venenum, quorum usus in
crimine, pretium in morte numeratur.
S. Paulin. cap. 35.*

NATIUM B. M. V. 8. Septembris.

POTUIT denique post longissimæ no-
ctis tenebras solem hoc die tellus
sperare, quando tot votis jam olim ex-
optatam nasci *Auroram* vidit, *Mariam*
inquam, quæ *Joachimò* atque *Annâ*
prognata lucem primò vidit dicam? an
videndam orbi propinavit hodie. Certè
festum agere hunc diem multis jam re-
trò seculis Christianus orbis instituit,
idque cælo auctore. Nam ferum Ana-
choreten hâc ipsâ luce quotannis audire
cælestes illos Amphiones solitasse, qui
latissimis modulis omnem latè aërem
exhilararent; sed & Paulum quendam
annis permultis sub eam noctem, quæ
diem